

latis, & quod obsequium suum tantus Dominus tam indigno monacho litteris suis porrexit? Sed peccatum reputo falsa dicere, nihilominus & vera tacere. Sicut enim improbus incenditur, aut inflatur, si falso laudetur: sic præditus naturali & gratuita bonitate humiliatur, & fortius ad meliora accenditur, cum ad se & ante se relatione, non adulatoria, sed vera reuocatur. Timet enim, ne non sit vel minus sit, quam dicitur. A multis retro annis, pater carissime, de vestra nobilitate & industria plura audiuius, & quod feruentissimo zelo quæ Dei sunt in vobis, & in alijs augmentare studeatis. Tenui fama hoc didiceram, sed cumulum veritatis & certitudinis adiecit carissimus noster & vester, Fulco Episcopus. Phinees vtinam tam apud vos, quam apud nos resurgeret; & filij Mathathiæ antiqua pro lege Dei bella renouarent, & sibi vsque ad animas non parcerent. Feruentis illius spiritus stillicidium in vobis infundat Spiritus sanctus. Satis dictum sit sapienti. Pro his quæ aguntur in partibus vestris erga nepotes & amicos prædecessoris vestri, vtinam ea mihi esset apud vos gratia & amicitia, quæ apud illum est; & sicut illi honore, sic dilectione succedatis. Valete.

82.

1178 — 1196.

Biskop STEPHANS' i Tournai Bref till Ärke-Bisk. ABSALON i Lund, rörande Ärke-Biskopens slägtinge PETER, hvilken blifvit Klerk.

K. h. 2: 511. n:o 96.

*Londensi Archiepiscopo pro Petro Sanct. Genouefæ Canonico.*

Placet pariter holocaustum, & placat, quod offertur de conscientia bona & fide non ficta. Id in qualibet ætate, conditione, & sexu Deus non respuit, qui in iuuenibus matutinum sacrificium approbat, & in senibus vespertinum. Circa hunc offerendi ritum sollicitus; & sedulus bonæ indolis adolescens, Petrus vester, & amodo noster, super Montem Virginis Genouefæ vinculis obedientiæ colligatus, quid de se placabili hostia Dominus facturus sit patienter expectat: Artius & vt credimus, altius propositum aggressus fuerat. Sed ne labor insolitus, & rigor austerus teneram ætatem reuerberaret, & deijceret, satius est ei saluari in Segor, quam periclitari in Excelso. Sine sui ac suorum ignominia, licite simul & libere diuertet ab oneribus dorsum suum, & ne manus eius circa hortos & agros in cophino deseruirent, lectioni sæpius vacaturus, factus est nobiscum Clericus, vt clericis conformetur. Gaudeat super eo sancta paternitas vestra, & parentes eius in Domino consolentur, quoniam in Ecclesia Dei ex tali flore fructus yberes expectamus. Ego autem & fratres nostri, quicquid instructionis, di-

lectionis, & doctrinæ poterimus, parati sumus ei impendere, materna sæpius vbera, quam paterna verbera porrecturi.

83.

1178 — 1196.

Biskop STEPHANS i Tournai svar till Årke-Bisk. ABSALON i Lund, angående fortsättningen af Kåniken vid St. Genoveva, PETERS vetenskapliga bildning.

K. h. 2: 511. n:o 97.

*Londensi Archiepiscopo pro Petro Canonico S. Genouefæ.*

Hilarem sui præbet opinionem adolescens; cuius inter ætatis initia, virtutis indicia coalescunt. Respiciunt hæc P. nostrum pariter ac vestrum, qui vobiscum regularis professus obedenter suscepit & doctrinam in studijs, & in moribus disciplinam. Et quoniam in eo spiritus quidem promptus, caro autem infirma, secundum mandatum vestrum vobis commendamus eum & committimus, satius æstimantes & gratius eum apud vos morari, quam apud nos mori. Infestas quartanæ molestias crebro sentit, & illius infestationis reliquiæ diem nostrum agunt sibi. Soli natalis & naturalis aëris beneficio posse iuvari credimus teneros ætatis annos, & humores maternis vberibus infusos paterno simul & materno solatio confoueri. Vnum est quod ei sicut filio carissimo consulimus, mandamus, & præcipimus, vt quamdiu in terra illa moram fecerit vagari non incipiat post greges sodalium suorum secularium; Sed aut in claustro regularibus disciplinis intendat, cum fratribus suis sub venerabili fratre nostro Vv. Domino seruientibus, aut quotiens & quando volueritis vobiscum in curia vestra religiose sicut decet & expedit conuersetur. Quod autem de ipso nobis per litteras vestras intimastis, vel in monte vel in Parisiensium secularium scholas, & venditores velorum mittendo, salua gratia vestra non admittimus, quoniam institutioni nostræ repugnat & consuetudini, sicut per ipsum præsentibus fratribus nouum proponetur spectaculum quod futuris perniciosum trahatur in exemplum. Habet in claustris sapientia regulas suas, erigens sibi scholas, inde veritatis, hinc virtutis. Quod si forte consilium vestrum in hoc declinauerit, vt de regulari secularem facere contendatis, aliam quam Parisius ciuitatem, in qua studuerat, eligite, ne in oculis vestris pro matutino & vespertino sacrificio quod nobiscum offerre debuerat, Domino verborum strepitus & disputationum anfractus offerat, & vnde sperauimus fructum, vertatur nobis in opprobrium & contemptum.